IMPRIMATUR.

Isaac Barrow, Procan.
Joseph Beaumont, Reg. Prof.
Thomas Holbech, S.T.P. Mr. Coll. *Emman.*
Jacobus Duport, Coll. *Magd.* Præfectus.

Julii 3: 1676.

Ἀυλικοκατάπτωσις·

SIVE

ESTHERÆ HISTORIA,

Poeticâ Paraphrasi ídque Græco Carmine, cui Versio Latina opponitur, Exornata:

Unà cum

Scholiis seu Annotationibus Græcis;

IN QUIBUS

(Ad SACRI TEXTUS Dilucidationem)

Præter alia non pauca, Gentium Orientalium Antiquitates, Morésque reconditiores proferuntur.

Additur

PARODIA HOMERICA

de eâdem hâc Historiâ.

ACCESSIT

INDEX Rerum & Verborum copiosissimus.

AUTHORE

JOSUA BARNES,

Coll. Emm. apud Cant. Socio.

LONDINI: V[illegible] apud [illegible] *Tooke*, ad Insigne Navis in Cœmeterio D. *Pauli*. *CANTABRIGIÆ:* apud [illegible] Bibliopolam. 1679.

'Αυλικοκάτοπτρον·

SIVE

ESTHERÆ HISTORIA,

Poeticâ Paraphrasi ídque Græco Carmine, cui Versio Latina opponitur, Exornata:

Unà cum

Scholiis seu Annotationibus Græcis;

IN QUIBUS

(Ad SACRI TEXTUS Dilucidationem)

Præter alia non pauca,

Gentium Orientalium Antiquitates, Morésque reconditiores proferuntur.

Additur

PARODIA HOMERICA

de eâdem hâc Historiâ.

ACCESSIT

INDEX Rerum & Verborum copiosissimus.

AUTHORE

JOSUA BARNES,

Coll. Emm. apud Cant. Socio.

LONDINI Typis *M.C.* impensis Authoris.

CIↃ IↃC LXXIX.

Reverendo admodùm in CHRISTO

PATRI AC DOMINO

D. *JOHANNI*

Episcopo *Roffensi*,

Decano *Westmonastèriensi*, & Eleemosynarcho REGIO,

Honoratissimo suo Patrono.

Reverende Præsul,

SEptem jamdudum libellos uno volumine congestos manibus tuis commendavi; quos omnes cùm benignè exceperis Tuóque Nomine non es dedignatus, fidentiùs jam favorem tuum huic Unico conciliatum fore spero: Præsertim cùm & ipse partem sumptûs benè magnam in ejus editionem contulisti. Si librorum quidem numero beneficia tua æquanda putarem,

pro

pro ſeptem illis, quos tunc temporis obtuleram, ſepties nunc ſeptem offerre deceret. Sed tantulo ingenio nequaquam fas eſt ſingula tantarum Virtutum veſtigia aſſequi: Namque etſi numerus *non uſque adeò ſit collatu difficilis, at Gravitati Tuæ par invenire* pondus, *id profectò multò majoris eſſet negotii; quo tamen quicquid caret, ineptè nimis & incongruè* R.D.T. *ſeſe exhibere dicatur.*

Mihi certè, præſertim ex quo rectiùs judicare valuerim, id in votis erat, ut miſſo numero, pondus *unicè exquirerem: Quod licet in Poetico Theſauro rariùs deprehendas; in hoc tamen, quod vides, Poemate, nonnihil fortè ejuſmodi agnoſcet candidus rerum æſtimator. Materia eſt prorſùs nova, hoc eſt, à nemine hactenùs, quod ſciam, aut ſaltem non ſupra æmulationem, libata: Stylus, ſi non omninò Homericus, ut ad Homerici tamen carminis majeſtatem quàm proximè accederet, diligentèr curavi; Opus ità Poeticis blandimentis refertum, ut Divinæ Veritati maximum & ſupremum locum relinquat. Quibus & Callimacheiam illam Virtutem adjicere audebo, Brevitatem. Sed nec hæc tantum in ſe momenti*

habent,

habent, quantum Academiæ hujus Procancellarii Collegiique Nostri Magistri Doctoris Thomæ Holbechii *largissima & stupenda planè indulgentia; quâ & ipse magnificè hujus Operis editionem promovit, aliorúmque liberalitati promovendam commendavit; cùm alitèr non hâc luce tantùm sed, qui æquè charus est, vultu tuo æternùm foret cariturum. Illósque profectò omnes honoris causâ hìc simul nominare vellem; nî opportuniorem singulos memorandi locum ad finem seposuissem. Et hinc puto satis mihi præsidii contra Criticorum morsus & lividos ungues accessurum, quòd hicce libellus, ut à solo tuo nomine felicitèr auspicatur, sic ab illorum catalogo honorabile invenit* Τέλος· *Atque ità perpetuâ tot tantorúmque Virorum authoritate à capite, quod aiunt, ad calcem armatur.*

Sed nè hæc quidem omnia tantum afferunt ponderis, *quantum in re quâlibet Tua Patrocinatio postulare videatur: At id abundè ex uberi laudum tuarum penu suppetet; si quâ me promptitudine hucusque respexeris & ad bonas literas capessendas impuleris, eâdem etiam hunc lucubrationum mearum fœtum primogenitum defendas, & nè damno mihi aut fraudi sit,*

provi-

provideas. Et ſanè præteriti tui favoris, quo me meóſque conatus promoviſti hactenùs & etiamnum promovere ſpoſpondiſti, experientia ſpem mihi facit non levem, hæc etiam Gratitudinis meæ indicia aliquam apud Te gratiam inventura.

Unicum hoc addam, ut quoniam ingenuo filii tui Johannis Dolbini *ductu in tuam primò notitiam fuerim admiſſus, hoc me loco gratias, quas poſſum, maximas, eidem agere patiaris: Quémque etiam tunc ex vultu ejus & colloquio futurum præſagibam animum, Virtute ſcil. Doctrinâq; & Humanitate ornatum, talem illi ex animo opto, talémq; puto jamjam adeptum eſſe.*

Deus O. M. R. D. T. *in Eccleſiæ ſalutem & reconditioris literaturæ honorem paritèr ac incrementum quàm diutiſſimè conſervet, coronámque illam Suis deſtinatam capiti tuo (ſerò tamen) concedat. Sic precatur*

R. D. T.

Obſequentiſſimus

Cultor,

Dat. è Coll. Emman.
Athenis Cantabrigienſib.
Octobris 20. 1678.

JOSUA BARNES.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HUic quidem Operi, lustro abhinc plùs minùs elapso, ultimam, uti tum sperabam, manum adhibui; sed non vulgari quorundam authoritate ductus, ejus editionem in hoc usque tempus distuli, eo nimirùm consilio, ut priusquam è meâ potestate penitùs avolaret, limatiùs indies subactiúsque redderetur. Tum sanè & alios sex libros huic annexos habui, Græco quidem carmine, licet non omnes ejusdem generis, excultos; quorum quatuor consimili versuum quoque Latinorum mensurâ constringebantur. Inter cæteros inferioris (Sacri tamen ut plurimùm) argumenti, Poema Heroicum de Josepho Patriarchâ, duodecim libris absolvendum, mihi proposueram; quorum tamen Unicum tantùm tunc temporis perfectum dedi: Addidi insupèr & aliud speciminis gratiâ Heroicum Poemation 'Αγγλοβελγομαχίαν dictum; de Navali illo certamine, in quo Nobilissimus Comes Sandavicus occubu-

it, quod licet ad justum Poema nec redegi, nec redigere volui; tali tamen προγυμνάσματι, velut parvâ quâdam Iliade, vires meas ad majus forsan periculum brevi accessuras explorabam. Sed,

Τοῖος - νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε,

Et hoc & illud jam revoco & Heroicum Poema, siquod unquam dedero, de rebus Anglicis déque Religionis Christianæ placitis instituendum decrevi. Intereà verò totos sex illos libellos in æternùm suppressos volui; vix hoc ipso, quem habes, argumenti, ut puto, gravitate adjuto, nè eorum simul fato involveretur. Verecundiâ enim quâdam permotus fui, nè Lectoris patientiam tam voluminoso opere, quasi primo ictu, conficerem; atque ideò tam numerosum ingenii fœtum latebris damnare sustinui. Nè verò & hoc, quod superest, Opus eâdem censurâ nimis dignum videretur, per totum hoc, quódque excurrit, quinquennium, --Membranis intùs positis, ad quotidianam ferè limam reduxi; jámque tandem post δευτέρας imò τρίτας φροντίδας Orbi illud Literario exhibeo; in quo quid præstiterim, infrà patebit.

Omissis igitur aliis, De hâc Estherâ, non Mensium decem sed tot dierum partu, nonnulla pro rei necessitate disseramus.

Scio multos in ipso limine offensuros ad illud, ubi hanc Historiam Nehemiæ succedere volo; nec id immeritò, cùm multi iidémque gravissimi Authores contra statuant. Nehemiam nempè centum vel etiam plures annos huic historiæ succede-

cedere. His ità reſpondeo; Chronologiam à Poetis obſervari ſemper oportere, nec optimorum exemplum, nec ipſa ratio jubet; cùm verò illa, quæ contra nos ſit, opinio incerta, nec illa, quam nos uſurpare volumus, minùs ſit probabilis, neſcio, an pro arbitrio noſtro res non ſit agenda. In eo, quod dixi, à Nehemiâ priùs Urbem cum Templo extructam fuiſſe, tum demum hæc omnia Judæis obveniſſe, nihil antiquius habui, nec profundiùs ſpectabam, quàm ut Vim precum Publicæque Eccleſiæ bonum ac utilitatem Poeticè innuerem; quaſi non eſſet expectandum, tantam támque inſignem Judæis ſalutem à Deo poſſe impertiri, niſi magno illo, ante Chriſtum, ἱλαστηρίῳ Hieroſolymis exiſtente; undè Communes pro populi Iſraelitici ſalute Preces continuò funderentur: Quod ſi rem hanc probare non poteſt, certè excuſare omninò ſufficiet.

At Flavius Joſephus meæ quidem ſententiæ omninò in hâc parte ſuffragatur, fide ſatis dignus Hiſtoricus, præſertim in rebus ad Judæos pertinentibus: Qui licet Nehemiæ 'Αρθασασθᾶ Xerxem fuiſſe dicat; ac proindè filium ejus Cyrum, ut vocat, Artaxerxem à Græcis dictum, pro noſtro hoc Aſſuero obtrudat, (cui infrà occurrere adnitar) hanc tamen Eſtheræ Hiſtoriam poſt illam Nehemiæ mecum ſtatuit.

Quod verò ad Scaligeri rationem ſpectat, ille quidem ad Alexandri M. tempora Nehemiam ponit, quod nullo modo concedendum puto: Legimus certè Alexandrum illum ante Perſicam expeditionem adverſus Hieroſolyma profectum

 fuiſſe,

fuisse, cui Jaddas Pontifex maximus occurrens iram avertit; Jam verò Jadda sextus est à Josuâ Sacerdote, qui Zorobabelis coævus extitit, ut γενεαλογεῖται Nehemiæ c. 12. v. 10, 11. Josuæ verò Sacerdotis & Zorobabelis æquævus Esdras & Nehemias. Fateor equidem Nehemiam c. 12. v. 10. 11. in illâ Sacerdotum Genealogiâ ad Jaddam usque Alexandri M. tempore viventem recurrere; undè probabile nonnullis videtur, illum ad hæc usque tempora durâsse: sed videant Docti, an hic Catalogus & similia non sint posterioris monetæ, vel certè adjectiones succedentium generationum ad conservandam earum memoriam factæ; præsertim cùm dictum sit c. 12. v. 26. ἐν ἡμέραις Νεεμία, quasi ex alienâ personâ; cùm aliàs semper Nehemias ex propriâ suâ personâ loquitur: Et sanè in ultimo Mosaici Pentateuchi legimus res post Mosis mortem actas; & sic aliquot capita in Secundo Samuelis post ejus obitum adduntur; cùm nemo tamen indè libros hos ab iis, quos præferunt, Authoribus non scriptos probet. Neque ego hìc disputo, quamdiù vel post Nehemiam Jaddas, vel quamdiù Nehemias ipse vixerit, aut quando suum librum scripserit; sed probatum volo contra Scaligeri opinionem, quòd ante Alexandri tempora ab eo Urbs Sancta fuerit ædificata, etiam benè magno intervallo; nec enim alitèr esset probabile, hanc urbem à tam parvis initiis ad tantum incrementi subitò ascendisse, quantum Alexandri M. temporibus habuisse constat. Maximè cùm, ut dixi, sex generationes intercedebant ex Josuæ tempore, qui restau-

restaurationi præfuit, ad Jaddam, qui Alexandro occurrebat. Et his quidem rationibus contra Scaligerum usi sumus, tum quià ille inter hujus Opinionis Patronos maximæ sit Authoritatis, tum quià tam directè opinionem nostram opponit, ut si hoc illi concederem, Estheram post Nehemiam sequi supponere absurdissimum esset; quià Alexander ille Persicam Monarchiam brevi pòst evertit.

Quòd verò nec tam longo post Nehemiam intervallo Estheræ Historia contigerit, sed quasi unâ plùs minùs generatione, vel sub proximo Persarum rege, evincere conabor. Primò, quòd Mardochæus Esdræ & Nehemiæ σύγχρονος, aut paulò junior, fuit, ut videre est, Esdræ c. 2. v. 2. ubi inter principes Captivitatis memoratur Mardochæus, ità tamen, ut post Nehemiam, mediantibus duobus aliis, succedat. Secundò, Aben-Esra ex prædicto Esdræ loco colligit, Mardochæum, cùm jam postliminiò reversus esset & videret ædificationem Urbis ac Templi ex voto succedere, relictâ Judæâ profectum fuisse unà cum Estherâ patruele in Susianam. Tertiò, licet nonnulli ex Estheræ c. 9. v. 20. malè colligant, hunc Librum à Mardochæo scriptum, Joachimus tamen à plerisque illius Author habitus est, & is certè Josuæ Filius erat, unâ generatione tantùm à Nehemiâ remotus, quatuor generationibus Jaddâ antiquior: Sin ille hanc Historiam scripserit, necesse est illam jam actam & perfectam fuisse, & hinc quoque sequitur, Mardochæum fuisse vel etiam tum superfuisse Josuæ Sacerdotis & Joachimi tempore; Joachimi autem tempore Templum

plum extructum conſtat, cùm etiam Pater ejus ei præfuit, & hic Secundus extitit poſt Captivitatem Sacerdos: Quæ omnia Rhodomannus his Verſibus complectitur, l. 4. Palæſtinæ ſuæ v. 132. & ſeqq.

Δεύτερος αὖ ποίμηνε νεοβρυὲς ἔρνος Ἰούδα
Κύδιμος Ἰοαχῖμος ἐΰφρων υἱὸς Ἰησοῦ,
Ὃν φάτις ἱστορίην Ἐσθήρειδος ἔστιν ὑφῆναι.

Jam quis ſit Achaſuerus noſter, perquirendum: Tanta profectò de hâc quæſtione apud Hiſtoricos (nè dicam taciturnitas) obſcuritas eſt, apud Chronologiæ ſcriptores tanta incongruitas & diſcrepantia; tam confuſa denique rerum geſtarum facies, ut hoc vel illud aſſerere, cùm ſuum quævis opinio Patronum habeat, non audax ſolùm ſed & periculoſum videatur: Quare ſummâ, ut potui, curâ evitatis hæſitantiæ aut etiam temeritatis ſcopulis, in hâc Ἐσθῆρος παραφράσει tutiorem, uti ſpero, certitudinis moduſum mihi propoſui, ſacras videlicet ſcripturas, quæ, certiùs quàm Diana in triviis vel Ἐνόδιος Mercurius, viam mihi face Veritatis prælata commonſtrabant. Nihil de hujus libri ordine dico, (licet hoc ſemel comperto & de primâ quæſtione & de hâc alterâ liquidiùs conſtabit) quià nec apud Hebræos eundem ſemper locum occupare deprehenditur: Sed ſi rectè poſt Nehemiam locatur, conſulant Docti, an & iſtud vim aliquam non habeat, adeò ut, cùm quis ſit ejus Ἀρθαξασθά innoteſcat, omnis fermè de noſtro Rege ſcrupulus tollatur; ut poſtea liquebit. Verum enim verò, quòd is, quem

nos-

nos ſequimur, ordo ſit bonus, hoc modo probatur: Si Nehemias poſt Eſtheræ res urbem reſtaurâſſet, vix probabile eſt, illum aut Reginæ aut Regis aut tam nobilis rei actæ memoriam præteriiſſe; non ſimul id feciſſe potuit; quià Judæorum illa preſervatio contigit anno Regis duodecimo (Eſther.c. 3. v.7. & c.9. v.1.) illud verò Nehemiæ opus viceſimo, ut ipſe fatetur c. 1. v. 1. & expreſſiùs c. 2. v. 1. reſtat ergò, ut ante Eſtheram fuerit; rectéque quidem Eſtheræ immediatè præponitur, quià Eſdras rectè Captivitatem in Chronicis memoratam ſequitur; utpote qui reverſionem ex Babylone narrat Cyri primo factam; hunc rectè Nehemias ſequitur, nempe qui res ad reverſionem pertinentes ſcribit, quíque Urbis reſtaurationem, quæ Cambyſis tempore & aliàs malè procedebat, Darii nutu aggreſſus eſt; hunc Eſthera non minùs rectè ſequitur, utpote quæ res continet ſolas memoriâ dignas poſt illas Nehemiæ. Quod quaſi ſeptuaginta Interpretes (Nam Hebraicè incipit --Et fuit in Diebus Achaſ.) nobis indigitare velle videntur; cùm liber Nehemiæ verbis ipſius concludatur, quibus ex eorum verſione hæc noſtra Hiſtoria immediatè ſuccedat --Καὶ ἐγένετο μετὰ τοὺς λόγους τούτους. Nec enim hoc argumentum directè oppugnat illa Objectio; quòd hæc Phraſis apud τοὺς Ο'. maximè & ſæpiſſimè in alio ſenſu uſurpetur: Fateor & ego, apud illos ex vulgari Hebraiſmo λόγους & πράγματα idem plerunque valere, ut vel ex Homero & aliis obſervârim; non tamen hinc ſequitur ſemper ita uſurpari. Sed hæc miſſa faciam ad validiora gradatim

datim perventurus. Consule Esdram cap. 4. v. 6. 7. &c. πάσας τὰς ἡμέρας Κύρου βασιλέως Περσῶν καὶ ἕως βασιλείας Δαρείου βασιλέως Περσῶν (i. e. à Cyro, per tempora Cambysis & Pseudosmerdis qui obstabant ædificationi, usque ad Darium) Καὶ ἐν βασιλείᾳ Ἀσσουήρου καὶ ἐν ἀρχῇ βασιλείας αὐτοῦ. Quasi ἀρχὴ βασιλείας αὐτοῦ sequeretur Darii βασιλείας τελευτὴν. Hìc enim habes Cyrum, tum (omissis Cambyse & Mago) Darium, tum Assuerum; ergò successor Darii Assuerus erat & hunc fuisse Xerxem palàm est. Sic enim Esdras proponit veram Regum Persicorum seriem, exceptis tantùm duobus, quorum unus Impostor, & fortè in Catalogum Regum vetitus inferri, alter ejus ædificationis Impeditor extitit; ideóque dicit à Cyro (ἕως) usque ad Darium; post Darium verò sine ullo tali vocabulo, quo omissum aliquem subindicaret, Assuerum mox infert & ejus regni initium.

Nec omninò desunt Authores ad firmandam hanc Opinionem, post Junium & Tremellium in Notis ad Biblia sua ab iisdem collectis, Helvicus etiam cum Calvisio & alii nostrates externíque Chronologi: Scaliger quoque tanti Nominis Vir hunc fuisse Xerxem multis contendit, Estherámq; eandem cum Herodoti Amestri vel Ctesiæ Amistri; nec multùm valet illa Drusii objectio (quam, cùm invitus fecerit, miror illum diluere non potuisse) quòd Patrem Amestris Otanem Persam fuisse Herodotus dicat; cùm aut alios in hoc fallere velle, aut saltem ipse Persarum malitiâ, qui hanc Historiam mirabilitèr obscurârunt decipi potuerit;

tuerit; maximè, cùm constat, multos Persarum Regum Cyri aut cujusdam ex Magophonis filias duxisse à suis dici, ad ostentationem Persicæ & Regum suorum nobilitatis; cùm tamen nonnullos ex Pellicibus etiam genitos licet observare, aliquos ex Hebræâ hâc Estherâ prognatos sit verisimile. Nec alio modo Ægyptios invenies, Historiam illam Exodi obscurantes & confusis suis mendaciis polluentes, ut, quod dedecus suum est, Judæis impingant. Quòd abundè demonstrat Josephus (nî malè memini) in libro contra Apionem. Ego verò aliud in hanc rem adjiciam argumentum, ex illo scilicet Herodoti, quo Amestris dicitur 14 nobilium Persarum filios vivos defodisse & pro suâ salute Deo sub terram habito devovisse; cujus rei si, ut vulgò accipitur, sensum intelligere velis, frustra es. Ego nostræ Historiæ id esse Corruptionem contendo, in quâ Esthera decem Hamanis filios Cruci devovisse traditur. Herodoti verba hæc sunt --ἐπεὶ δὲ Ἄμηστριν τὴν Ξέρξεω γυναῖκα πυνθάνομαι γηράσασαν δὶς ἑπτὰ ἐόντων ἐπιφανέων Περσέων παῖδας ὑπὲρ ἑωϋτῆς τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι Θεῷ ἀντιχαρίζεσθαι κατορύσσουσαν. Ubi Ἄμηστρις pro Estherâ; δὶς ἑπτὰ per errorem pro 10; Περσέων ἐπιφανέων pro Hamane, qui secundus Regi erat, aut etiam pro amicis ejus; ὑπὲρ ἑωϋτῆς pro salute suâ (*i. e.*) pro populi Hebræi salute, cujus causam susceperat in se, & suâ; τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι Θεῷ non pro Arimanio Persarum Vejove, illum enim tali periphrasi nunquam significabant; sed pro Vero Deo (*i. e.* pro gloriâ ejus) quem Persæ (nam

ſuum in Cœlo putabant) ſub terrâ eſſe forſan voluêre: Aut audire potuerunt illum crebrò vocari Deum Cœli ac Terræ, & ſic tandem Cœlo Soli conceſſo, Terram huic propriam fecêre; & quià Judæi juxta id tempus nomen Dei reverentèr admodum habuêre, imò vix ἐκφώνητον ſicut etiamnum Tetragrammaton; indè Perſæ, cùm nomen ejus neſcirent, hâc periphraſi dictum voluêre; κατορύσσεως verò hìc non corpora ſignificare, ſed ligna potiùs, quibus terrâ defoſſis Haman & ejus filii ſuſpendebantur: Hanc verò Sacræ Hiſtoriæ corruptionem Herodoto ac aliis verſimiliorem fuiſſe viſam, utpote, qui ſcirent in uſu Perſis fuiſſe, ante aliquod magnum Regis diſcrimen quoſdam (licet non Perſas) defodere; quòd & Herodotus teſtatur l.7. Polymniâ dicto, in Xerxis contra Græcos expeditione, Ἐννέα δὲ ὁδοὺς πυνθανόμενοι (οἱ Μάγοι) τὸν χῶρον τοῦτον καλέεσθαι, τοσούτους ἐν αὐτῷ παῖδάς τε καὶ παρθένους ἀνδρῶν ἐπιχωρείων ζώοντας κατώρυσσον· Addit ἐπιφωνηματικῶς, Περσικὸν δὲ τὸ ζώοντας κατορύσσειν. Quòd verò hìc Sacra Hiſtoria corrumpatur, videre eſt ex eo, quòd utraque Defoſſio non ſibi reſpondeat; quùm tamen in Sacrificiis & rebus Divinis maximam eſſe oportet convenientiam: Si enim Perſis licitum erat Deo illi *externos* offerre & defodere, cur non & Ameſtris id fecit? Si non licuit, cur Magi jam id faciunt? An putandum eſt Magos in ſacris ſuis minùs expertos, quàm Ameſtrim? An verò Ameſtrim ſalutem ſuam pluris feciſſe, quàm ipſum Xerxem & 170 Myriadas hominum, quibus jam Deos propitiare Magi ſatagebant? Et obſervatione

tione dignum eſt, in illâ Ameſtris defoſſione, παῖδας tantùm ſine τὸ ζώοντας legi; quià Hamanis filii occiſi erant, priuſquam ſuſpenſi; in hâc verò poſteriori & ζώοντας geminari & τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ Θεῷ penitùs tolli: Nec ſecundùm numerum ſibi invicem conveniunt. Nemo autem mirabitur, tam multùm à vero Herodotum erráſſe; ſi modò idem reputaverit, quantùm Juſtinus, Tacitus reliquíque Ethnici Scriptores in rebus ſacris enarrandis aut ignorantiâ aut malitiâ aut temporum injuriâ hallucinati ſunt: Poſſem de hâc re ex ipſo Herodoto plures inſtantias proferre, maximè, quod ab aliis obſervatum cepi, de Nechonis Regis Ægypti contra Syros pugnâ in Magdolo factâ, quod corruptionem eſſe ſcio hiſtoriæ interempti à Pharaone Necho Joſiæ: Poſſem inſupèr addere, Herodotum plura de ſuis vivâ voce accepiſſe, id etiam in hâc ipsâ re teſtari per illud τὸ --πυνθάνομαι; ſed progredior.

Prætereà ſi rurſus obſervemus, quòd Ameſtris ab Herodoto dicatur, Uxorem Maſiſtæ neci dedendam à Xerxe in convivio poſtulâſſe, aliáſque, quas legimus, circumſtantias, non poſſumus Scaligeri opinionem non amplecti. Nomen Maſiſtæ non magis ab illo Hamanis differit; quàm Xerxis ab illo Achaſueros; quòd frater dicebatur regis, nihil refert, cùm & id nomen honoris causâ dari potuit Hamani: Certè novimus Orientalem fuiſſe morem Regibus, eos quos honorare vellent, *conſanguineos* ſuos vocare; quid ſi fratres, quos proximos ſibi voluêre? Id verò, quod Hiſtoricus profert de lege, quâ in Regio Convivio Rex te-

nebatur neminis votum aut ſupplicationem rejicere, videtur optima explicatio mentis Eſtheræ, quæ non coram Rege in throno ſedente, licet favore ſit recepta, vitam ſibi populóque ſtatim expetere; ſed convivium maluit inſtituere, ſciens in Convivio neminem à Rege voti expertem dimitti poſſe. Verba Herodoti in hanc rem ſpectantia ſunt hæc τέλος μέν τοι, ἐκείνης τε λιπαρεούσης, καὶ ὑπὸ τοῦ νόμου ἐξεργόμενος (ὁ Ξέρξης) οὐκ ἀτυχῆσαι τῶν χρηΐζοντα οὔ σφι δυνατόν ἐστι, βασιληΐου δείπνου προκειμένου, κάρτα δὴ ἀέκων κατανεύει. Sed hæc παρέργως, ad partem tamen aliquam hujus libri explicandam apta.

Xerxem verò Eſtheræ maritum etiam Druſius cenſet (is qui, in hâc ſaltem Hiſtoriâ, Criticorum omnium Sacrorum dictorum meâ quidem ſententiâ acutiſſimus eſt) qui his verbis opinionem ſuam tandem concludit. Mihi placet, quod Scaliger de hâc re prodidit, quem Authorem nunc ſequemur, dum meliora edocti erimus: Is enim eſt Scaliger, ut ab eo in temporum ratione temerè diſcedendum non ſit. Quià verò ipſe Scaliger opinioni meæ σύμψηφος eſt, ejus quoque argumenta, aut certè eorum præcipua, velut huic loco maximè propria, attexere non pigebit.

Primò nomen ipſum Achaſueri (præter alia quibus præparationem inſtituit) id probare oſtendit; אַחְשְׁוֵרוֹשׁ Ὀξυάρης (id Xerxis nomen privati exiſtentis) quod cum regularioribus punctis Maſoretæ אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ Achaſueros: Imò Johannes Steuberus hoc nomen in Xerxem audet hâc derivatione reducere,

ducere, Achſuerus, Axuerus, Xuers, Xerxes; quod tamen non adeò monſtroſum oſtendit conſideranti, quomodò Lingua Hebraica effatur Aphtholmi pro Ptolomæo, Achſan ſive Axan pro Xeno, in Targ. Hieroſolym. Aſtacton pro Σταχτλώ.

Secundò *Scaliger* probat ex Herodoti verbis S. Scripturæ convenientibus. Eſther c. 1. v. 1. Rex ille dicitur --ab Indiâ uſque ad Æthiopiam per centum & viginti ſeptem (ſic enim corrige Scaligeri centum & ſeptemdecim) provincias imperitâſſe. Et Mardonius (Herodot. l. 7.) Ἰνδοὺς & Αἰθίοπας Perſarum δούλους vocat Xerxiſque imperio ſubjectos.

Tertiò probare nititur ab intervallo trium generationum, quæ à Nebuchadanoſore lapſæ erant, qui Jechoniam captivum duxit, ad Mardochæum noſtrum; cùm Cis pater Simei, patris Jairi, patris Mardochæi, in eâ captivitate abductus fuerit, ubi τρεῖς γενεαί. Infert verò, & ſanè à Jechoniâ capto ad Xerxis Διάβασιν anni putantur (*i. e.* ſupputantur) 120. (vel cum aliis 140.) quod eſt τρεῖς γενεαί.

Quartò probat ab Ameſtri Xerxis uxore, dicítque Ameſtrin idem valere, quod Ham--Eſthera, *Ham* nomen ſimplex aſſerens (vel honoris titulum) & *Eſter* adjungens hoc modo אסתר-דבד ſive Ham --Eſter. Sic *Ham* cernitur in *Ham*--Adatha patre *Ham*--Anis; *Aſter* verò ſeu *Eſter* in Zoro--*Aſter*; quod quidem ille pluribus exequitur, & nos ſuprà de hoc argumento aliquid dicere conati ſumus.

Quintò

Quintò probabile dicit, Xerxem poſt ſubjugatâ Ægyptum, dum Græcum bellum moliretur, Convivium illud Vaſhtæ feciſſe, in quo Duces populúmque congregabat; ut & paratos haberet & quaſi valedicturus populo ſuo Convivium hoc (ſecundum puto) ἀποτακτικὸν faceret, utpote illos multo tempore non reviſurus: Et hinc evenire, omne illud temporis ſpatium à Tertio ad Septimum annum in libro Eſtheræ tacitè præteriri (ut quod ad uſum humanæ vitæ aut dignitatem Divinæ Scripturæ aut hujus Hiſtoriæ ſcopum & propoſitum minimè pertineret) Spatium, inquam, illud quinquennale, in quo belli hujus apparatus Xerxíſque è Græciâ reditus contingebant.

Contra *Joſephi* argumentum, quod ſupra expoſui, (licet in aliâ re authoritati ejus acquieſco) ità reſpondeo: Nehemias expreſsè dicitur negotium urbis ædificandæ ſuſcepiſſe anno Arthaſaſthæ viceſimo, Nehem. c. 2. v. 1. Xerxes verò, quem ille Arthaſaſtham hunc ſtatuit, annos tantùm viginti regnabat; quòd ſi Pocillator ejus tam diù fuiſſet Nehemias, cur rem tanti momenti eoúſque diſtulit; cùm nullam æquè benignam ab ullo alio Rege occaſionem expectare, nec Hebræam alteram Reginam fore ſanus potuit ſperare? Sed concedamus, hanc illum moram feciſſe, aut, ſi vis, ad eum officii locum recentiùs aſcendiſſe; quomodò tamen urbem annuo minùs ſpatio ædificaret? Eo enim anno Xerxes mortuus eſt. Hoc quoque conceſſo & Xerxis ſucceſſorem operi non obſtitiſſe; at quomodò Nehemias ex promiſ-

ſo

ſo rediret ad Regem jam mortuum? Quin ipſe Nehemias c. 5. v. 14. à viceſimo anno illius Regis ad triceſimum ſecundum ejus progreditur. Xerxes ergò is non fuit, ut Joſephus putat, quià Xerxis regnum ultra viginti plùs minùs annos non durabat. Jam verò Darius 36. annos regnabat & φιλέβραιος erat, & ejus Reginam, utpote filiam Cyri, qui hanc reſtaurationem primò aggreſſus eſt, Nehemiæ ſupplicationi amicam fuiſſe probabile eſt.

His & ſimilibus ſubnixi fundamentis Regem noſtrum Achaſuerum determinatum dedimus, probè gnari, à Poetis nihil in dubio relinqui oportere, omnia verò æquis rationibus perquirenda, nè facilè erroris dicam ſibi velint impingi. Et hinc nonnulla ejus facinora, inſignem Muſices amorem, ὀξυχολίαν & γυναικοφιλίαν (quæ nemini magis quàm Xerxi congruunt) Imperii magnitudinem, opulentiam & geſta, utpote Xerxis indubitati, fuſiùs memoravimus. Hæc ferè ad confirmanda hujus Operis loca quædam neceſſaria duxi; Cætera omnia ex Veteri Inſtrumento ſunt fidelitèr deprompta (Apocrypha enim Canonico, licet Druſius illa conſuere conetur, parùm conſentire reperio) niſi ubi Perſici Regis Palatium ad illud Sereniſſimi *Caroli* noſtri exemplar deſcripſimus; quod & ipſum nomen χουεραρεμῶν ſonantiùs pro χουεραρμῶν (à חור album & ארמון Palatium) obſervanti indigitat: Id verò, non quòd Regis noſtri Palatium Magnificentiâ illi æquipolleat, ſed ob inſignem ejus Architecturam, quâ quibuſvis certare poteſt; & ut anſam arriperem nomina *noſtra* cum

ali-

aliorum rebus Poetico more intermiſcendi. Sic pro ἐπεισοδίοις Poeticis reputanda ſunt, quæ occurrunt in primo Capite de Spectaculis, in Sexto de Achaſueri Inſomniis, de Magis ac Vate Terpſimbroto, & ſiqua alia pro Poeticâ meâ parte interſpergere non dubitavi: Nec tamen Scripturæ Veritati detrahendo, eam violare; ſed ei addendo, meliùs exornare verè Poeticum eſſe puto: Id verò, ubi nihil Religioni aut Legibus contrarium uſurpamus, at quæ ornamento potiùs ac uſui inſerviant, quæque, licet infra S. Spiritûs Majeſtatem ſint, (qui animas, non aures vult captare,) ad Carmen tamen peculiaritèr pertinere videantur: Tam fruſtra ſunt illi, qui neſcio quo exemplo, varios Scripturæ locos frigidis verſificationibus ſuis inquietant, & malè merentem hanc audaciam Poetici furoris nomine appellant. Quintilianus verò l. 1. ſtatuit, in Paraphraſi breviare quædam & exornare ſalvo tantùm ſenſu licere; & idem l. 10. ipſis ſententiis oratorium robur adjicere, omiſſa ſupplere & effuſa ſubſtringere; neque Paraphraſim eſſe interpretationem volo (*ſed Metaphraſim*) tantùm, ſed circa eoſdem ſenſus certamen & æmulationem.

De uſu tandem hujus Hiſtoriæ nonnihil quoque ſubtexere par videtur. Nec enim me latet objectum iri; quòd nec Heroico Poemati aptam præbeat materiam, nec, ſi id concedatur, ad multos tamen pertinere poſſit. Sed obviàm eo: Cùm præcipuum ſit Poeſeως officium, maximè illius, quam Διδασκαλικὴν vocant, exempla vel ficta vel etiam vera proponendo hominum mores infor-

informare, Vitium deprimere & ad Virtutis amorem accendere; cùm, inquam, omnes Poetæ & --*prodesse* & *delectare* pro virili contenderent; ipse quoque, nè inutilem suscepisse provinciam viderer, talem mihi tractandam cooptavi historiam, quæ *Divinam* ac *humanam* Doctrinam exercere posset, quæque meâ sententiâ (nam reliqua Poetica Scripturæ loca mihi quidem lyræ magis apta videntur) maximè inter res Sacras & amplam & ad legitimum Poema constituendum satis dignam præberet materiam. Hìc sunt

--*Res gestæ Regúmque Ducúmque & tristia bella.*

Perfidiæ hìc malitia cernitur, nec pœna omittitur; Instabilis Aulicorum vita & digna Ambitione Infelicitas vel ipso Αὐλικοκολακοτόπτρου nomine spectandæ proponuntur; Pietatis quoque & Modestiæ contra Superbiam laudabilis contentio, victoria & βραβεῖον, Pulchritudinis vires Virtutis innixæ adminiculo: Hìc Gratitudo erga fautores nostros addiscenda est ex Estheræ in Mardochium observantiâ; Ecclesiæ de mundo victoria & post varios casus felix exitus ex Hebræorum personis dignoscuntur; Invidiæ malum & ἑαυτοτιμωρεία, vanáque Improborum consilia ex Hamane perspicienda sunt; ex omnibus mirabilis Divinæ Providentiæ techna, quâ, cùm fortiùs amplecti velit, longiùs recedere solet, aptóque tempore ad suum bonitatis opus resilit: Nihil denique vel Principibus vel Aulicis vel Magistratibus vel Subditis notu dignum proficuúmque, quin id è Divino hoc Thesauro eruere, manúmque Dei,

vel nomine ejus abſente, ſatis manifeſtò contemplari licet: Et ut verè dicam, cuicunque aut Græca Lingua, aut Poeſis, aut res ſacræ, aut etiam profanæ placuerint ei hoc opus quodammodò placiturum & profuturum neceſſe eſt: Adeò non fruſtra de illo hoc Diſtichum feci

Biblia materiam, Verborum flumen Homerus
Contulit: Hunc, Docti, aſt illa fovete, Pii.

Quòd ſi Ethnicis Poematis ſimile non ſonet, tota (excepto ſtylo) differentia conſiſtit in hujus ſupra illa eminentiâ, quod nemo, uti ſpero, homo Chriſtianus inficiabitur. Nec me pudebit, ſi, dum Poeticam cum paucis aliis Sacram efficere coner, ipſe intereà apud minùs Chriſtianos minùs Poeta habear.

Siquis verò objiciat, me etiam in Sacrâ hâc Hiſtoriâ plerunque profana Gentilium Deorum rerúmque nomina uſurpare: Reſpondeo *primò*, non ideò hanc profanari magis, quàm ipſam S. Scripturam, imo N. T. in quo nomina Caſtoris & Pollucis, Jovis & Mercurii, Dianæque & ſimilia occurrunt. Et profectò, qui Poetas ob id, quòd fraudes, adulteria ac ejuſmodi facinora memorant, rejiciendos putant (licet omnia in Eſtherâ ſint caſtiſſima) parùm meminiſſe videntur, Scripturas quoque eo nomine rejiciendas fore, quòd Amnonis & Lothi inceſtum, Davidis adulterium, homicidia Abimelechi, multáque æquè Deo & hominibus inviſa in ſe contineant. Cùm tamen S. Scripturæ, (ut & Poetæ, licet gradu inferiori,) illa, ut nævos tantùm & vitia humani generis

neris damnanda proponant. *Secundò*, Ipsa hæc Historia unâ manu res Sacras, alterâ Gentiles & profanas tenere videtur; hinc Esthera, illinc Achasuerus; hinc Mardochius, illinc Haman; hinc Judæi, illinc Persæ sibi invicem nectuntur. Quidnî & ego hinc Deum verum proponerem (cujus tamen Nomen in hoc libro nusquam occurrit apud Hebræos) illinc falsi, sed Persarum Gentilitii & ἐφόρου Dei (*i. e.* Mithræ) nomen non reticerem? *Tertiò*, id quod hujusmodi est, aut σεμνείας & εὐπρεπείας χάριν fit, aut ex re ipsâ colligi & in ipso sacro Textu necessariò intelligi oportet; licet id Spiritûs S. Majestas omittere maluerit: Posteriori hoc modo nemo sanus mihi interdicet, in priore, debitâ uti cautione deprehendar: (*e.g.*) Si de Venere comparationem instituam, subjicio statim --Εἴπερ Κύπρις ἔην γε. V. 354. Sic in Phaethontis fabulâ, quam in rem meam detorqueo, ῥητῶς adeò exprimitur --Μῦθος γὰρ μόνον ἦεν, πλεῖον δ' οὐδέπω ἔργον. V. 1137. Non dico, quot selectissimas sententias asperserim, quot descriptiones, similitudines, orationes, ut major sit utilitas, induxerim; non assero etiam aliquid reconditioris literaturæ diligentem lectorem alicubi inventurum; quid in Scholiis sit præstitum, postea dicetur. Jam verò unicum hoc profero (fortè leviusculum) v. 78. & 79.

Κύρου ὑπερθυμέλοισι σέλας βάλεν ἄφθιτος εἰκὼν,
Καμβύσεω. Σμέρδεώς τε, μεγασθενέος τε Δαρείου.

Quod literalitèr (ut dicunt) si sumpseris, significat tibi Cyrum, duósque ejus filios Cambysem

regem & Smerdim, qui nunquam regnabat, tum Darium Xerxis patrem; nec enim probabile eſt Smerdim Magum hunc honorem obtinuiſſe: ſed ἱςορικῶς & Poetico more etiam Pſeudoſmerdin indigito, qui menſes 7. regnabat, ut ſit exactus numerus & ſeries Regum ante Xerxem Perſicorum. Dabo alterum ſpecimen, V. 80. & ſeqq. de pretioſis quibuſdam lapidibus loquor, qui etſi probabilitèr ſatis in Perſiâ vel Regum parietibus affixi dicantur, alium tamen hinc ſenſum aucupor & virtutes optimorum Regum Aulis dignas Poeticè volo innuere: Quàm apta Virtutum indicia ſint lapides pretioſi non dico, nec Poetarum nec S. Scripturæ ad id authoritate utar. Senſum meum indigito. Primus lapis eſt Achates Sapientiæ & Hilaritatis σύμβολον, utraque enim harum ἄλγος ἰᾶται, epitheton αἱματόεις additur tum ob colorem, tum etiam quòd bona ſanguinis κρᾶσις Sapientiæ & Hilaritati conveniat. Secundus lapis Gagates Humilitatem & Mortificationem ſignificat ob ejus colorem cineraceum, ejus tamen dignitatem illo Oxymoro efferre conor --Αἴγλην αἰθαλόεσσαν ἀνήνυκεν; & ſequitur Achatem, quià hæc Virtus Sapientiæ & Hilaritatis optimum eſt temperamentum. Tertius Galactites eſt, ob colorem lacteum dictus, Juſtitiæ & Veritatis ſignum; Sic Smaragdus Nobilitatem paritèr ac Liberalitatem; Amethyſtus Sobrietatem; Beryllus Caſtitatem manifeſtò indicant. Et hos lapides Regum Perſicorum defunctorum imaginibus circumfixos imaginor, haud neſcius, quàm Regiæ ſint virtutes, quantóque Principibus vel poſt fatum ornamento

namento & Gloriæ. Duo tamen hìc obiter dicam, me Δα̃ in Δαρεῖος contra veterum usum, non tamen sine Modernorum exemplo corripere; pro quo paratos in me Criticorum ungues deprecor. Deindè quòd cùm Achasuerum nostrum Xerxem esse probaverim, Artaxerxis tamen nomen in Poemate constantèr retineam; ut quod apud τοὺς ό. legitur: Et minùs etiam temerarium judico *Vetera* Sanctorum hominum authoritate, quàm *nova* ex meâ solùm ratione usurpare.

Ut verò tantæ huic Utilitati Jucunditatem quandam admiscerem (nè ἐπεισόδια & id quod Gallicè *ordonnance* vocatur, memorem) Græco Carmine sum usus, quod apud doctos Latino gratius, Vernaculo durabilius, aliísque omnibus longè nobilius agnoscitur. Imò propter miram quandam Rhythmi dulcedinem, verborum tonum, leporem, concinnitatem, propter omnia denique plurimò jucundius (de linguæ enim utilitate loqui supersedeo) haberi debet.

—*Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo*
Musa loqui. ————

Nec dicam mihi quidem promptius in hâc linguâ versificari fuisse, quàm in Latinâ, quæ strictior, severior & injucundior est; vel in ipsâmet vernaculâ; licet Anglico Versu hæc Historia ab aliis tractetur. Omnia verò Carminis ornamenta sunt Græcis ferè propria; in Homero autem illo Poetarum Coryphæo, Antesignano, Jove, emicant, ardent, fulminant. Hunc indies à ferulâ mirari, suspicere, colere non destiti; hunc le-

gi, relegi, necdum ſatis perlegi; aſſequi tamen (quod nemo unquam fecit faciétve, aut, ſiquis unquam, *Duportus* is eſt) me non poſſe quid mirum eſt? Nec verò hoc Opuſculum ex Ὁμηροκέντροις (quam ſcribendi palmam prædictus *Magdalenenſis* Magiſter omnibus præripuit) ſed ex propriâ, ut potuimus, telâ, Homerici ope radii depictâ, ſegmentatum liceat gloriari: Non enim elegans Verſuum conſarcinator & (ut ità dicam) Ῥαψῳδίας Ῥαψῳδὸς, ſed Poeta fieri contendo. Sin alicubi forſan Hemiſtichium, ſin totum carmen aliquandò occurrat ex illo Græcitatis penu depromptum (cujus tamen in hoc Opere vix ſum conſcius) ab excuſatione tam procul ſum, ut non parùm etiam in hoc mihi gratuler, quòd vel umbram *Duporti* illius Ἑλληνοδίκου oculatiſſimi & φιλομηροτάτου attigiſſe videar.

At cur tu, regerat aliquis, (& profectò regeſſit aliquis) tu homuncio, qui inter Diſcipulorum cathedras non ità pridem ploráſti (& tum anno vix amplius uno --manum ferulæ ſubduxeram) cur tu, inquam, nec annis nec ſatis experientiâ edoctus ad tantum te laborem accingis? Benè profectò, nec inſperatò, quiſquis es, --præcedentibus obſtas. Ego tamen audivi --'Proni 'ſtudii certius indicium eſſe, ſupra vires niti, quàm 'viribus ex facili uti; alter enim, quod poteſt, præ-'ſtat, alter etiam plùs quàm poteſt. Sed nec tam ſollicitus eſto, nè ætas mea Sacris rebus adeundis ſit inepta; nam certè lex eadem, quæ Pueros à Sacris procul ire jubet, etiam Senes emeritos facit. Quid verò? Nonne hæc ætas iſtud ſapere potuit;

potuit; ut è totâ Sacrorum penu ſaltem aliquid Hiſtoricum & cui quàm minimum Theologicæ nodoſitatis ineſſet, eligeret? Vel ſiquid fortè uſpiam difficultatis inibi delituit, nonne ſtudium & tempus cum frequenti librorum uſu animum meum informare potuere? E Charitate igitur Lectoris erit, id mihi concedere, ut licet ipſe parum potuerim, aliorum tamen opiniones perlectas ſatis dextrè diſcernere valerem. Et cùm Juvenili ætati Poeticus ardor maximè conveniat (nam & ipſe Poetarum præſes Apollo imberbis habetur) certè neſcio, an quò citiùs & magis arduè hæc ætas feratur, non eò etiam laudabilior evadat. Quare ego Pindaricum illud mihi aſſumam, *Olymp. Od.* 8.

> Ει δ' ἐγὼ Ἐσθήρᾳ δὴ (pro ejus Μελησίᾳ) ἐξ ἀγενεί-
> Ων κῦδος ἀνέδραμον ὕμνῳ,
> Μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος.

Quantum in hoc Opere noſtrum ſit ingenium, aliorum eſt ſtatuere: Nos certè non mediocri Græcæ Poeſεως uſu ad aliquid agendum citò accenſi, hoc tandem primum lucubrationum pignus quantulumcunque in lucem proferre auſi ſumus; Nulli enim (præſertim inter Græcos, quantum novimus) hanc Scripturæ portionem, licet Poeticam ſatis, hoc modo tractavêre: Quare ego in hanc arenam deſcendi & quoad potui viriculas meas in hoc agendo exercui. Adnititur iterum Regina hæc Eſthera nuperrimè inaugurata ſuo & Mardochæi nomine, ut ab illuſtri quovis literarum Achaſuero vitam exoret & ſalutem; nec multùm

tùm etiam deſperat, talibus ſe, cùm typis ſit ex ornata, placituram; quæ adhuc privata exiſtens ab omnibus hujus Academiæ Doctoribus & Præfectis (non ſine Divinæ Providentiæ ductu & auſpicio) perhumanè adeò recepta fuit. Cavete ergò, vos Critici, vos ſuperbi & invidi Hamanes; nè quod illi paretis exitium, in veſtrum caput corruat; nè dum aliis --μῶμον ἀνάψαι ſudetis, aut ignorantiam veſtram aut malitiam palàm faciatis.

Quàm novam ingreſſi ſumus viam, ſubjuncta Scholia ſatis, nî fallor, indicabunt: De quibus aliquid ampliùs præfari non abs re fore videtur: nec enim lubentèr, quicquid objectionibus petitum iri ſuſpicer, intactum aut indefenſum omitterem; ſin alicujus malitia ingenioſior ſit, quàm providentia mea; fateor quidem ejus malevolentiæ non me tantùm imparem, ſed nè volumina centum apologetica ſufficere poſſe. Quùm viderem hìc aquam nonnullis in legendo hærere, nec mentem meam ſatis capi; præviderem verò pluribus eundem ſcrupulum futurum, Ἐξήγησιν ἕνεκα προσγράφειν ferè neceſſarium duxi; *primò*, quià ipſe ſacer Textus multis in locis ſit hactenùs à nemine ſatis explicatus, imò aliquandò perplexior, nè dicam violatus; ut in eo loco, ubi Eſtheræ crudelitatem (ut vocare audent) Critici Sacri excuſare non ſunt, quam tamen in illâ fuiſſe nullo modo concedendum puto, præſertim cum εὐλογώτερος detur cauſa, quæ nihil deformitatis in ſe habeat; ſcilicet, ut ſuſpendii illius (mortuorum Hamanis filiorum) exemplo Judæis ſuis ſecuritatem

tem conciliet, eorúmque inimicos à talibus in eos machinationibus deterreat, quod quidem exemplum maximi futurum erat momenti, minimi verò damni, cùm Hamanis filii pridiè, quàm suspenderentur, vitâ essent defuncti. Ità ergò ipsam Estheram loquentem induxi,

Δὸς δὲ Ἰουδαίοισιν ἐπαύριον ὧδ' ἐνὶ Σούσοις
Δυσμενέας δηϊῶσαι ἰδ' ἀντίβιον μαχέσασθαι,
Τοῦ δ' Ἀμὰν κρεμάσασθαι ἀρηϊφάτους δέκα παῖδας,
Ὄφρα παντὸς κέπλον ἀλιτρόσυνην ἀλεγεινήν,
Ἄλλοι δ' ἐρρίγωσιν Ἑβραίοις κήδεα ῥάπτειν.

Hæc & multa alia ab aliis plerunque adhuc intacta non ἀστόχως fortè adeò attigimus; non quòd vel minimis Criticorum Sacrorum me conferam, sed quòd, cùm illi tantùm παρέργως & aliud agendo in hunc librum commentati sunt, ego de industriâ & etiam multis vigiliis, curâque quinquennali tum ipsorum tum aliorum glossemata in hoc solum congessi. *Secundò*, plurima illorum, quæ ipse Textui sacro inserui, cùm aut antiquas consuetudines redoleant, aut etiam arcana quædam Gentiúmque & Literarum, licet eorum rationes aliquas in ipso Poemate attigerim, fusiorem certè explicationem postulare videbantur: Hæc ideò Scholia, licet multò majori cum labore, quàm ipsis Versibus impendebam, elaboravi; idque lubentiùs, quià de meo sensu meipsum propiùs conscire putabam; tum, ut, si fieri posset, Opus ipsum tanto, quo mecum diversatum est, intervallo dignum aliquo modo redderetur; nec non ut Doctis pariter satisfacerem & Tyronibus,

quibus etiam conſulendum putabam, auxiliatric manus ſupponerem: In his enim Carminis, vocabu lorum & accentuum rationes aliquandò, ſæpiùs Po ematis ac proindè Sacri Textûs ſenſum interiorem pleniores rerum & perſonarum hiſtorias, Perſarum Gentiúmque Orientaliorum (qui politiores eſſ ſolent) ritus, verborúmque Perſicorum, Hebræ corum, Syriacorum, & Arabicorum genuina ſignificationes, multorum, ut occurrebant, Au thorum interpretationes & emendationes, innu meráque id genus alia explicui & recenſui. Quò Carminis, vocabulorum & accentuum rationes me notatas dixerim, nè id Doctorum animos ni mis excruciet; Non enim illis, ſed Tyronibu hanc telam texui, altiora quædam eáque long plura acutioribus palatis reſervans: Quanqua haud tantum metuo, nè Grammaticæ hæ minuti (quas tamen rariſſimè hìc invenias) fruſtrà ſin quantum nec illas leviculis quorundam objectio bus ſuffecturas ſuſpicor.

Nè verò omnia de meo protuliſſe, nimiúmqu mihimet arrogare videar, licet Authorum nom na, quorum operâ ſum uſus, in ipſis Scholiis pa ſim exhibeam, eorum tamen Catalogum huic Præ fationi ſubjunxi, quo ob oculos poſito, benign Lector certiùs ſibi aliquam in legendo utilitatem proponat, eóque alacriùs librum revolvere dig netur; in quo tot Authorum medullam tot die rum laboribus collectam paucis momentis exu gere poteſt & in ſuccum ſanguinémque conve tere.

Mal

Malui autem Græcè illa circumferri quàm Latinè, ut ad prosam quoque Græcam scribendam aliquandò saltem me assuescerem; & quià Græco Carmini Σχόλια Attica magis conveniebant; nec non ut Didymum(nam Scholia illa Didymo potiùs concedenda, quàm de quopiam alio frustrà certandum judico) aliósque Authores Græcos, quos maximam esse partem constat, suis ipsorum verbis, ubi opus fuerit, citarem, & hoc non semel faciendo laborem meum aliquâ ex parte levarem. Et profectò, si Græcos Latinè tantùm citâssem, & Authorum sensui & Lectorum judicio meæque ipsius fidelitati injuriam facerem: Laboriosum verò & vix operæ pretium esset Græco textui Latinam subindè expositionem attexere: Cùm itaque scirem ipsos Versus à doctis pariter ac indoctis legi solere, Scholia verò plerunque à Doctis tantùm desiderari; Versibus quidem Latinam interpretationem è regione opposui, in Scholiis verò id facere ultrò omisi; licet eorum stylus tam facilis sit, ut cuicunque Testamentum Gr. scrupulos non facit, huic etiam Scholia mea intellecta erunt. Quià verò, quamvis longè sit molestius, consultius tamen videbatur, ego eâdem, quâ Didymus, methodo ad margines illa Versibus, quos explicant, subscripta sparsim apponere, quàm in unum fasciculum collecta ad finem simùl rejicere, malui; quanquam olim alitèr mecum statuissem.

Eorum, quos advoco, Authorum plerosque ipse vidi, sed non omnes; imò quosdam ex aliorum fide me citâsse fateor; sed aut Hebraici illi

illi sunt, aut qui rarissimè occurrunt, aut qui etiam non jam extare videntur, saltem quos nec in Academicâ Bibliothecâ, nec in Emmanuelensi, nec in Benedictinâ, nec in illâ Collegii Regalis facilè reperire potui. Ii tamen, quorum fide usus sum, fide sunt dignissimi, ut Grotius, Cœlius Rhodiginus, Brissonius, *&c.* quorum ipse in multis aliis fidem expertus sum. Siquandò rem profero, nomine Authoris dissimulato, id factum scias, vel cùm in chartâ spatium esset angustius, vel cùm paulò ante Author sit dictus, aut certè conjectu sit facilis; & nè nimis frequentèr mihi πολυμαθίαν arrogare videar, aut librum *Antiquarum Lectionum* post Cœlium conscribere vellem. Nec adeò Lectorum judicio diffidendum duxi quin illi expressa intelligere & omissa supplere possint quoque & velint.

Multa apud Latinos Authores occurrunt, quæ ad res meas multùm conferebant, ea tamen, veluti Græcæ Linguæ malè congrua, ut plurimùm missa feci; licet aliquoties, nempè cùm testimoniis Græcis magis in promptu essent, illa etiam inserere contentus fuerim. En aliquot specimina! V. 69. in Scholiis legas --ἔφη Τίβυλλος --βασίλειον ὕδωρ Χοάσπου, ubi hoc Tibulli carmen Lectori indigito --*Nec quà vel Nilus vel Regia lympha Choaspis*; cùm plurimi tamen Authores multis testentur, hunc fluvium Persicis Regibus potum ministrare solitum. V. 113. dico --καὶ ὁ Πέρσιος ἐν προλόγῳ --Πηγασήϊον μέλος, hìc intellectum volo illud Satyrici --*Cantare credas Pegaseium melos*; ubi *me* in *melos* producit (necessariò) in

Iambis

Iambis σκάζουσι. Sic v. 190. ubi legis, χόλον βραχεῖαν εἶναι μανίαν φησὶν Ὁράκιος, respexi ad id Horatii --Ira furor brevis est. Sic v. 1562. ex Tricesimo Quinto Livii Historiæ hæc affero, εἰ μὴ ἀποδῶσι τοὺς Πέρσας ὕδωρ καὶ γῆν παρὰ Λακεδαιμονίων αἰτήσαντας βώλου γῆς καὶ ὕδατος καταπόσεως ἀπορήξαντι. Verbatim ex illo Liv. Decad. 4. l. 5. ‘Nisi crederent Persas, cùm aquam terrámque ab ‘Lacedæmoniis petierunt, glebâ terræ & haustu ‘aquæ eguisse. Siquis, (quod obitèr dico) miretur, me, linearum numero servato, Versuum Biblicorum numerum neglexisse, id de industriâ ac prudens feci, ut exactiùs Scholia suis locis responderent; & quia in tantâ Paraphrasεως libertate talis series otiosa esset ac nullius prorsùs usûs: quàm tamen religiosè singulos versus κατὰ νοῦν expresserim, periti judicent. Post Versum 643. Ille Versus --Ἄκμηνοι, &c. & post V. 701. Ille --Μιῆσιν ἔχουσ', &c. & versus primus c. 9. interpolantur velut supernumerarii, nè totius libri ac proindè Indicis ordo eorum interventu turbaretur. In reliquis numerus suus constat.

Ad versum 40. & deinceps, ubi arcuum certamen in urbe Susorum exhibeo, ad id Propertii respicio l. 2. Eleg. 11.

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis;
Spicula quot nostro pectore fixit amor.

De quâ re tamen nihil Scholiorum apposui, quià, etsi talis nulla esset consuetudo, non ideò improbabile esset, tale aliquandò certamen propositum fuisse: Sed potiùs, ubi quid præter morem,

rem, inuſitatum, celebre, aut boni exempli, dignúmque notu contingit, in eo exponendo totus ſum. Hoc verò ἁπαξαπλῶς dictum volo, licet plurima iſtiuſmodi fuſiùs aut ſaltem ſufficientèr explicaverim, nonnulla tamen, nec ea minùs forſan digna, ultrò prætermiſi; id enim cavendum putavi, nè actum agerem, aut quod alicubi fortè attigiſſem, crebriùs repeterem: Brevitati inſupèr conſului, atque aliis ſua quoque ingenia exercendi ſpatium reliqui.

Nec me latet modum etiam in optimis tenendum, raróque aliud inviſum magis, quàm Græculum (penè dixi Graculum) garrientem: Quod nomen nè mihi ipſi cudiſſe aut mereri videar, vel portam Urbis proportione patentiorem cum *Myndiis* extruxiſſe, me & mea æquo rerum æſtimatori commendo & hìc pedem ſiſto. Vale & Fruere.

Catalo-

Catalogus Authorum,

Quorum Opere in Scholiis usi simus.

ABen-Ezra
Achilles Tatius
Ælianus
Æneas Sylvius, sive Pius II. Papa.
Æschylus
Æschines
Albertus Magnus
Ammonius, Gram.
Anacreon
Apolinarius in Psalmos
Apollo Delphicus
Apollo Clarius
Apollonius Tyaneus
Apollonius Argonauticus
Apollonii ejusdem Scholiastes
Appianus Historicus
Argentarius, Poet. Gr.
Aristænetus
Aristophanes
Aristoph. Scholiastes
Aristoteles
Aristotelis Filia
Arrianus de vitâ Alexandri
Artemidorus
Athenæus

Benjamini Rabbi Itinerarium
Berosus ex Josepho
Biblia Polyglotta
——Junii & Tremellii
——Anglica
Boxhornus in Tacitum
Brissonius de Reg. Persic. princip.
Brouni Pseudodoxia
Brouni Religio Medici
Budæus
Buxtorfius

Callimachus
Calvisius
Canon Ptolemaicus, à Johanne Gregorio & à Calvisio citatus.
Cartesius
Casaubon Isaac
Cassiodorus
Chaldæus Paraphrastes
Chronicon Hebr. Sedar Olam dictum.
Chrysostomus Johannes
Cicero
Claudianus Poet.

Clemens

Clemens ad Corinthios
Cluverii Johan. Historia
Cœlius Rhodiginus
Ctesias
Curtius
Cyrus Poet. Græc.

Demosthenes
Didymus in Homerum
Dinon ex Athenæo
Diodatus in Biblia
Diodorus Siculus
Dionysius Halicarn.
Dionysius Periegetes
Dion Chrysostomus
Drusius cum Criticis Sacris
Duportus

Epigrammata seu Anthologia
Etymologista
Euripides
Eusebius
Eustathius in Homerum

Fabulæ Æsopicæ
Firmicus Julius Maternus

Gemistius
Gorgias Leontinus
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Johan. Oxoniensis
Grotius

Heliodori Æthiopica
Helvicus
Herodotus
Hesiodus
Hesiodi Scholiastes
Hesychius
Hierax ex Hieroclis Frag.
Hierocles
Hieronymus Divus
Himerius apud Photium
Hipponax
Homerus
Horatius
Hyleni Geographia

Josephus
Isidorus Hispalensis
Isocrates

Livius Historicus
Lycophron
Lycophronis Scholiastes
Lucanus Poeta
Lucianus

Mahumetis Alcoranum
Martialis
Maximus Tyrius
Medus Josephus Anglus

Mega-

Megasthenes Persa
Menander
Mimas Pythagoricus
M. Minutius Felix
Moschus
Musæus Poeta

Nicephorus
Nicetas Choniates
Nonnus Panopolitanus
Nonnus in Nazianz.

Opuscula Mythologica
Oracula Sibyllina aliáque
Origenes
Ovidius

Palæphatus
Pamphilus
Paulus Apostolus
Pausanias
Persius Satyr.
Petrus Apost.
Phavorinus
Pherecydes
Philemon
Philo Judæus
Philodemus
Philostratus de vitâ Apollonii
Pindarus
Photius
Plato
Plethonis Scholia in Zoroastr.
Plinius
Plutarchus
Pollux
Procopius
Psellus
Ptolemæus
Pythagoras

Rhodomanni Palæst. Gr. Poem.

Scaliger uterque
Selinus apud Stobæum
Septuaginta Interpretes
Simonides
Solon
Sophocles
Sophoclis Scholiastes
Stephanus de Urbibus
Stobæus
Strabo
Suidas

Tacitus
Textoris Officina
Thales
Theocritus
Theophrastus
Thucydides
Thucydidis Scholiastes
Tirinus Jesuita in Biblia S.
Tzetzes uterque

Vitruvius
Virgilius

Xenophon

Zeno
Zonaras

Vossius

Zoroastres & Magica Oracula.

ἘΙΣ ΤΟ'

ΑΥΛΙΚΟΚΑ'ΤΟΠΤΡΟΝ,

ἜΙΤΟΥΝ

